

**Nonnulla de dolore colico : dissertatio inauguralis pathologica ... / auctor  
Henricus Jacobi.**

**Contributors**

Jacobi, Heinrich.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1835.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/eq9zrd26>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

NONNULLA  
DE  
**DOLORE COLICO.**

---

**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS PATHOLOGICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN  
UNIVERSITATE LITERARIA  
FRIDERICA GUILIELMA  
UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR  
*DIE XXXI. MENS. OCTOBRIS A. MDCCCXXXV.*

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**HENRICUS JACOBI**

RHENANUS.

---

OPPONENTIBUS:

L. HUETTNER, MED. ET CHIR. DR.  
W. FACKELDEI, MED. ET CHIR. DD.  
F. BRUEHL, MED. ET CHIR. DD.

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

**MANIBUS**

**PATRIS OPTIMI, DILECTISSIMI**

ALD

ONESTO MIO SE A BOBIS ROMA MIA

NEC NON

**V I R O**

**SIBI AMICISSIMO ATQUE DILECTISSIMO**

**H U Y S S E N**

**H A S C E**

**S T U D I O R U M P R I M I T I A S**

**S U M M A E P I E T A T I S G R A T I S S I M I Q U E A N I M I S I G N U M**

**O F F E R T**

**A U C T O R .**

---

## PROOEMIUM.

---

**Q**uum de artis medicae capite aliquo mihi scribendum esset, ut legibus academicis satisfacerem, diu haesitavi, quidnam potissimum ex amplissima hujus artis area mihi desumerem. Multis assumtis iterumque repudiatis, tandem de colica disserendi consilium cepi, quum mihi contigisset, ut in nostro nosocomio plures casus et species hujus morbi observarem, praecipue peculiarem speciem, quae professoribus nostri nosocomii clarissi-



mis colica scortorum nominatur. Primum igitur generatim de doloribus colicis nonnulla apponam, deinde ea, quae de colica scortorum audiui, vidi, cogitavi, speciatim describam. Nova autem, quibus omnes dubitationes tollantur, afferre nequeo, id quod ab artis tirone vix et ne vix quidem expectari posse existimo. Vos igitur rogatos velim, benevoli lectores, ut in dijudicando hocce opusculo virium juvenilium tenuitatem respiciatis,

---

---

**N**on omnes scriptores, quod ex eorum operibus patet, colicae voce eodem sensu utuntur; alii enim de sede hujus morbi, alii de ejus natura inter se dissentiunt. Quod ad sedem attinet, nonnulli eam omnibus ventris organis inesse posse contendunt. Purcellus, qui hac de materie diligenter exposuit, omnes sensationes ingratas abdominis organorum, iis renum atque vesicae urinariae exceptis, dolores colicos appellat. Sed haec opinio eam ob rem rejicienda videtur, quod omnes dolores abdominis symptomaticos, quales v. c. in intestinorum inflammatione oriuntur, doloribus colicis interponit. Plurimi autem scriptores in eo consentiunt, illum tantum dolorem colicum nominandum esse, qui naturam

doloris nervosi habeat, quippe dolores, in alio viscere ab intestinis distante exorti, saepe verae colicae naturam mentiuntur, ita ut medico multum offeratur difficultatis, claram diagnosin erudiendi. Attamen isti morbi signis propriis cognoscuntur, quae a situ affectarum partium totiusque morbi decursu petita, de vera mali sede atque indole nos certiores reddere solent. Alii quidem non nisi in eo intestino, quod colon nominatur, sedem hujus morbi ponendam censent; ast vero hoc refutatur eo, quod ileus morbus, cujus causa modo in intestinis crassis modo tenuibus est, fere semper a dolore colico ordiri solet. Haud dubie autem colon, imprimis ejus pars transversa, primariam hujus morbi sedem continet, unde colicae nomen deductum esse verisimile est.

Praestantissima igitur Vogelii aliorumque clarissimorum virorum opinio nobis videtur, qui dolores vehementes, aut vagos aut fixos, constringentes, periodicos, qui aut in crassis aut in tenuibus intestinis percipiuntur, et quorum causam aut ipse canalis alimentarius, aut alia remotior pars habeat, dolores colicos appellant.

Ut plurimum nonnulli prodromi primum colicae insultum antecedunt, ut anorexia, nausea, ventriculi gravitas et oppressio, vomitiones, alvi obstructio, urina turbida, lassitudo, sensibilitas aucta. Illi autem prodromi per breve tantum tempus antecedere solent saepeque absunt, ita ut morbus hominem repente atque inopinanter adoriatur. Deinde dolor ipse irruit, qui tum ratione loci, quem occupat, tum gradu et indole admodum discrepat. Nunc enim vagus est, quod frequentissimum esse solet, nunc fixus, incidens, urens, pungens. Saepe quidem, at non semper, in regione inguinali dextra incipit, indeque cursum sequens coli intestini ad latus sinistrum transit. Plerumque musculi abdominis retrahuntur, interdum quoque expanduntur, simulque tanta sensilitate imbuuntur, ut tactum digitorum ferre non possint. Praeter haec enarrata symptomata alia quoque in conspectum prodeunt. Spasmus intestinorum nauseam inducit, vomitiones, vomitum, obstipationem alvi, pulsum spasticum, respirationem brevem, anxiam, inaequalem; denique palpitationes cordis, anxietatem atque vertiginem sibi adjungit. Extrema corporis

aut frigent aut sudant, facies pallescit, urina saepe retinetur, neque minus interdum singultus, dysphagia spastica, meteorismus, deliquium animi, penis erectiones, pollutionesque accedere possunt. Isto quidem modo paroxysmus saepe per aliquot horas persistit, remittentibus atque recrudescuntibus affectibus, demum symptomata morbi evanescent atque prisca valetudo restituitur. Veruntamen hujus morbi exitus infaustus, imo lethifer accidere potest, id quod duplici ratione evenit, prout scilicet morbus vel acutioris est indolis vel chronicam magis affectionem sistit.

Si illud locum habet, intestinorum inflammatio oritur, quae facillime in suppurationem vertitur. Alterum vero si accidit, morbus sensim sensimque augescens aegris lentam infert mortem. Non raro enteritis inter paroxysmos colicos evolvitur, imo colicam ad inducendam enteritidem quandoque multum conferre haud improbabile est. Porro vitia intestinorum organica, intussusceptiones, volvulus, stricturaeque ex hoc morbo emergunt; nec infrequentes sunt artuum paralyses, contracturae, convulsiones.

Quod autem ad colicae aetiologiam attinet,

proxima causa in perversa tunicarum intestino-  
rum actione collocanda videtur, quae actio mor-  
bosa iis excitatur, quae intestina continent, aut  
irritationibus, quas organa vicina affecta cum in-  
testinorum tunicis communicant.

Variae autem ac multiplices sunt causae re-  
motiores, quarum syndrome proximam causam  
constituit.

Si corpora dura atque aapta tubum intesti-  
nalem permeant, dolores colicos, maxime in ipso  
colo, efficiunt. Per intestina tenuia absque do-  
loribus provehuntur, in coeco autem eos jam  
provocant. Ejusmodi sunt aliena devorata, ossa,  
nuclei cerasorum atque prunorum, acus, numis-  
mata etc. Sed in colicae causis ponendae etiam  
sunt faeces retentae indurataeque, ut plurimum  
in hominibus vitam sedentariam degentibus, po-  
tissimum, si multis farinosis et siccis vescuntur  
cibus, et parco utuntur potu; unde nomen coli-  
cae stercoralis petitum est.

Non solum vero quantitas eorum, quae in-  
testinis continentur, colicam excitat, sed etiam  
corruptela, seu acrimonia sic dicta, quae vel in-  
gestorum vel intestini secretorum est. Illa qui-

dem alimentis, medicamentis aut venenis efficitur; alimenta facillime colicam provocantia sunt: brassicae oleraceae species, cibi ferventes, poma immatura, legumina, carnes corruptae, pingues, rancidae, vina acida immatura, potulentaque ferverescentia.

Quaecunque medicamenta per longius tempus inepteque adhibentur, facillime colicam eo excitare possunt, quod membranas intestinorum irritant, atque erethismum, inflammationem mutamque secretionem evocant. Huc imprimis purgantia drastica atque vomitoria pertinere neminem fugit.

Prae omnibus autem venenis plumbi mentionem facere debemus, quod gravissimum effectum in plurima corporis humani organa exserit. Plumbum metallicum nullam fere efficaciam in corpus exhibet, oxydatum vero magna corpori affert detrimenta. Sic colicam saturninam seu pictorum plumbum inducit, sive ejus vapores aut subtilissimus pulvis inspirentur, sive pro medicamento interne atque externe adhibeatur, sive vino aliisque liquoribus admisceatur, sive denique vasa, in quibus cibi potusque parari solent,

eo obducantur. Quo autem modo plumbum excitet colicam, medicorum opiniones haud consentiunt. Alii enim plumbum topicam in intestina vim exserere et glandulas lymphaticas intestinorum contrahendo, spasmus earum efficere putant; alii autem plumbum in sanguinis circuitum primum deferri, tum contractionem vasorum minorum evocare dicunt; id quod vero similis videtur, quum solus plumbi usus externus colicam gignere queat. Ex reliquo venenorum numero praecipue memoranda veniunt: arsenicum, cuprum, antimonium, mercurius, inprimis mercurius sublimatus corrosivus, cobaltum, quorum inprimis vapores colicam efficiunt, quae colicae saturninae simillima est.

Haud minus bilis colicae causam suppeditare potest, si corrupta atque uberior in duodenum influit. Similem atque bilis effectum habet succus acrior gastricus atque pancreaticus. Idem, si diu cibis abstinemus, evenire solet, quippe succi enterici, impetrata acredine, plerumque dolores colicos procreant.

Flatus etiam colicae causam satis crebro exhibent et colicae flatulentae nomine morbum



impertiunt. Non solum e cibis deglutitis, sed etiam e secretis materiisque excrementitiis intestinorum, praecipue coli atque coeci plerumque gas evolvitur. Si gasis evolutio nimia evadit, idque per os aut anum erumpere nequit, intestina valde expandit, quo fit, ut motus intestinorum antiperistalticus atque vehementes dolores colici gignantur. Vegetabilia quaedam uberimam gasis copiam excludunt, exempli gratia brassica oleracea, farina, poma, maximam vero omnium secreta morbosa coeci atque coli.

Vitia intestinorum organica aliaque producta abnormia saepe causam colicae exhibent. Huc referuntur: indurationes substantiae intestinorum, eorum malacia, tumores, polypi, aliaeque excrementitiae, item scirrhus, calculi biliarii, ulcera, herniae incarceratae; nec non vermes, ut ascarides, taeniae, lumbrici, qui membranas intestinorum irritantes, colicam verminosam inducunt. Quidam auctores, ut Purcellus, aliis animalibus, exempli gratia serpentibus, ranis, lacertis in ventriculum atque intestina immissis, colicam quandoque ortam esse, affirmant.

Plethora quoque abdominis, congestiones

sanguinis, quae ex haemorrhoidibus, catameniis, lochiisque retentis, vel temere suppressis pendet, pariter atque intestinorum inflammatio, saepissime in causis colicae sunt. Haec omnia sanguinis impetum versus intestina compellunt, quo fit, ut vasa sanguifera expandantur, nervi premantur, atque dolores colici vehementes orientur. Huc quoque metastases referendae sunt, exempli gratia acrimonia herpetica, scorbutica, arthritica, rheumatica, scabiosa aliaeque exanthematicae ad intestina delatae, porro sudores et totius corporis et singularium partium imprimis pedum repressi.

Denique prava aëris constitutio colicam epidemicam proferre dicitur, ut Sydenhamus aliique scriptores tradunt.

Aliorum etiam viscerum morbi per consensum non raro colicae causam exhibent, quae colicae consensualis nomine notatur. Prae omnibus autem morbi hepatis memorandi sunt, potissimum incarcerationio calculorum biliariorum in ductu hepatico, qua spasmus illarum partium excitatur, qui bilis effusionem in duodenum impedit et cum intestinorum tunicis communicatur. Eodem modo calculi renales, qui in ureteribus

haerent, dolores colicos vehementissimos provocare possunt. Morbi ventriculi atque vesicae urinariae saepe causam colicae sistunt, uti inflammatio, induratio atque exsudata peritonaei.

Jam ad eas causas perveniendum est, quae colicae speciem quandam peculiarem efficiunt, scilicet colicam scortorum. Sunt enim morbi genitalium, imprimis, ut videtur, nimiae irritationes atque inflammationes uteri ligamentorum. Quae colicae species quum in puellis prostitutis tantum observata sit, nomen colicae scortorum obtinuit.

### SYMPTOMATOLOGIA.

Symptomata hujus morbi multa variaque sunt. Plerumque prodromi quidem primam hujus morbi invasionem praecedunt, qui obstructione alvi, sensu gravitatis, artuum lassitudine, doloribus capitis nauseaque se manifestant. Elapsis aliquot diebus, dolores colici accedunt, qui plerumque in regione hypogastrica ab utroque ossis ilium latere incipientes, usque ad regionem epigastricam protendantur. Pro varia morbi acerbitate dolores isti admodum differunt, ita ut gradu

levissimo ad summum evehantur fastigium, quo aegrotae ne tactum quidem digitorum sustinere possint. Exacerbatio dolorum, quamvis vespere plerumque apparere saepeque per totam noctem usque ad tempus matutinum protrahi solet; tamen quovis temporis spatio locum habere potest. In remissionibus aegrotae mediocriter valent, quamquam alvi obstipatio pertinax nunquam non adest. Venter ut plurimum paulo est inflatus atque tensus, interdum quoque inter vehementissimos dolores calet valdeque tumet. Quod ad alvi obstipationem attinet, ex more tantam ostendit tenacitatem, ut ad morbi finem usque perduret. Interdum quoque vomitio humoris limpidi (Hydremesis) inter multa vomendi conamina irruit, saepeque ingesta statim rejiciuntur, ita ut aegrotata miltiora alimenta et medicamenta ferre nequeat. Urina aut pallida est aut turbida, et parca cum urethrae doloribus mingitur. Pulsus ineunte morbo fere normalis apparet, sin morbus progreditur, frequentior duriorque redditur, imo non raro febrilis observatus est. Lingua vel pura vel obiecta invenitur, calor cutis normalis, sitis non aucta, color faciei pallidus. Mentis functiones

fere semper integrae sunt, raro deliria existunt, quae tantum sub doloribus vehementissimis aliisque morbis accedentibus intrare solent.

Sic morbus per varios gradus decurrit, ita ut modo levissimus modo gravissimus sit, imprimis si febris inflammationesque adjunguntur. Indoles hujus febris variat, modo inflammatoria reperitur, modo simplex. Bis in nostro nosocomio in eadem puella prostituta talem febrem inflammatoriam, cum inflammatione peritonaei topica junctam observavi, quare statim detractionem sanguinis universalem localemque institui oportebat. Equidem febrem simplicem vidi, quae nonnullis diebus post, quam aegra in nosocomium recepta erat, oriebatur, atque cum exacerbatione irruebat, deinde autem, doloribus remittentibus, ipsa quoque remittebat. Quod ad inflammationes topicas pertinet, bis eas observavi, ut supra adnotavi, minime vero semper eas adesse debere, atque colicam scortorum omni tempore ab iis pendere, arbitror. In aetiologia hac de re fusius agere conabor.

Hic morbus fere intra octo vel duodecim dies decursum suum conficit, quo facto plerumque in sanitatem abit. Primum alvi obstructio

remediis cedit, simulque excrementis copiosis ac faeculentis redditis, dolores colici evanescent. Si vomitus et stranguria tum quoque adsunt, plerumque alvo laxata disparent. Interdum sudore universali, quem tum alvus laxa mox sequitur, hocce malum solvi videtur. Attamen uno in exemplo, persistente morbo, saepius eum redeuntem observavi. Alias morbi judicatio haemorrhagia uteri aut fluore albo effici videtur, quippe quae excretiones saepe sub morbi exitum copiosae intrare soleant. Urina plerumque circa finem morbi turbida est. Exitum hujus morbi letalem nunquam observavi, quem tamen aut vehementi inflammatione, aut morbis secundariis induci posse crediderim. Qui quidem morbi secundarii sunt: vitia organica systematis sexualis, e. gr. carcinoma uteri, ovariorum, induratio eorum, hydrops ascites, hydrops uteri ovariorumque, tabes dorsalis etc.

### AETIOLOGIA.

Causa hujus morbi proxima in nimia sensitivitate organorum genitalium, aut in statu inflammatorio peritonaei, quod fundum uteri atque

ovaria obtegit, cerni videtur. Causae praedisponentes locum habent in corporibus sensilioribus hystericisque, generatim in iis puellis prostitutis, quae constitutione corporis nervosa, tenui molli-que cute, capillis flavis, gracili corpore, magna-que nervorum mobilitate conspicuae sunt. Quo junior est meretrix, et quo saepius in hunc morbum incidit, eo facilius opportunitas ad hanc colicam evolvitur. Ad causas occasionales praesertim pertinent stupra crebrius oblata. Attamen aliae exstant causae occasionales, uti soluta victus ratio, nominatim excessus in cibo potuque, itaque quotidianus usus spirituosorum. Denique et refrigeria, quibus istae puellae saepissime coactae sese committunt, causam occasionalem praebere videntur.

### PATHOGENIA.

De hujus morbi pathogenia haec adnotare placet. Coitu, quem hae puellae prostitutae tam saepe cum tot ac tam diversis viris exercent, ingentem sensibilitatis exaltationem nervorum systemati sexuali dicatorum oriri necesse est, longe majorem scilicet quam in iis, quae coitum natu-

rae accommodatum subeunt. Hic nervorum genitalium erethismus continuus per ceteros quoque abdominis nervos diffunditur, tandemque mediante commercio, quod nervi genitalium cum intestinorum nervis ineunt, ad hos progressus, eundem statum erethisticum intestinorum producit. Tunc, dummodo una causa occasionalis accedat, protinus dolores colici irruunt. Non solum autem per systema nervorum primarium hoc malum excitatur, sed etiam secundarium per systema vasorum sanguiferorum.

Repetita genitalium irritatione major sanguinis copia ad has partes fertur, subsistit in iis, atque plethoram localem efficit; quo fit, ut nervi partium genitalium premantur atque sensiliores reddantur. Sin autem sanguis majore impetu et ubertate ad has partes ruit, simulque sanguinis orgasmus exstat, facillime phlogosis his in partibus exoritur, quae plerumque sedem suam in ea peritonaei parte habet, quae fundum uteri, ovaria tubasque Fallopii obducit; id quod cognoscere licet primum ex majoribus doloribus in regione hypogastrica, praesertim in eo loco, quo posita sunt ligamenta lata, dein feбри cum dolo-



ribus conjuncta; tum altiori affectarum partium temperie.

### DIAGNOSIS.

Hisce omnibus, quae hactenus dicta sunt, diagnosin colicae scortorum facile confirmabis. Natura dolorum, alvus jam ante morbi invasionem retenta, stranguria, vomitus, ceteraque indolis spasticae phaenomena praecipue hunc morbum dignosci patiuntur. Sed cum colica saturnina, quae interdum adhibitis cosmeticis puellas publicas adoritur, noster morbus confundi potest. Differentia autem utriusque affectionis praesertim haec est: in colica scortorum ventris tegumenta non versus spinam dorsalem retrahuntur, sapor dulciusculus, artuum tremor, atque dolores crurum vagantes desiderantur. In colica saturnina dolor maxime regionem umbilicalem, in colica scortorum autem regionem hypogastricam tenere consuevit.

### PROGNOSIS.

Prognosin si respicis fere semper laetam habes. Quo junior atque sensilior meretrix est,

eo facilius hic morbus eam adgreditur, et quo diutius malum est protractum, eo difficilius eradicatur, attamen vitae periculum nunquam in hoc malo accidere vidi. Magno incommodo est alvi obstructio, nec prius dolores decedunt, quam illa sit soluta.

### CURATIO.

Jam ad ultimam hujus commentatiunculæ partem gradum faciamus, eam scilicet, quæ de curatione disserit. Medendi indicationes duæ exstant, quarum altera in tollenda inflammatione, altera in spasmo leniendo causaque morbi submovenda cernitur. Si inflammationis certa symptomata apparent, hirudines in regione ovariorum ponendæ atque leviora laxantia adhibenda sunt. Graviori inflammatione pariter ac feбри urgente ipsa venaesectio instituatür, id quod me observante semel in nostro nosocomio factum est. Alteri ut satisfiat indicationi, imprimis idonea sunt clysmata oleosa, simul alvum leniter solventia, qua virtute præcipue oleum ricini pollet; interne, nisi ventriculi sensibilitas nimis exaltata est, emulsiones ex oleo ricini cum gum. arabico,

aut emulsiones ex oleo amygdalarum cum magnesia sulphurica exhibendae sunt. Fomenta calida ventri imposita atque balnea tepida saepe huic indicationi respondent. **O**mnium autem inflammationis suspitione depulsa, alvoque laxata, nervina in usum vocentur necesse est, ut infusum valerianae et similia.

**Q**uod demum ad prophylaxin hujus morbi attinet, prae omnibus alia vitae ratio eligatur, quamdiu enim puellae turpissimo operi meretricio indulgebunt, hoc morbo nunquam radicitus liberabuntur. Praeterea nihil dubitationis recipit, quin diaeta accuratior, nec non omnis refrigerii animique pathematum fuga ad arcendum huncce morbum quam plurimum conferant.

---

## VITAE CURRICULUM.

---

**E**go *Henricus Jacobi, Rhenanus,* anno hujus saeculi decimo in pago *Starkrade* natus, patre *J. G. Jacobi,* quem eheu morte ereptum valde lugeo, matre e gente *Haniel,* confessioni evangelicae addictus sum. *Primis litterarum elementis in Gymnasio Duisburgiensi imbutus, Gymnasium Vesaliense, quod rectore Bischoff floret, per quatuor annos frequentavi. Quo tempore lapso, maturitatis testimonio munitus, anno MDCCCXXX ab Ill. Gieseler Rectore magnifico civibus universitatis Bonnensis adscriptus sum, ibique per annum integrum hasce lectiones audivi:*

*Ill. Mueller de physiologia; Ill. Mayer de anatomia; Ill. Weber de osteologia; Ill. van Kalker de logice atque psychologia; Ill. Muenchow de physice; Ill. Bischoff de chemia; Ill. Noeggerath de mineralogia; Ill. Treviranus de botanice; Ill. Goldfuss de zoologia.*

*Tum aliam academiam Heidelbergensem petii, ibique hosce clarissimos praeceptores disserentes audivi: Ill. Tiedemann de anatomia; Ill. Gmelin de materia medica; Ill. Puchelt de pathologia et therapia, tam generali quam speciali; Ill. Bischoff de plantis officinalibus.*

*Sub autumnum anni MDCCCXXIII aliam Berolinensem universitatem adii, et Rectore magnifico Ill. Weifs in civium academicorum numerum receptus, Decano spectatissimo Osann in album medicinae studiosorum inscriptus, his praelectionibus interfui: Ill. Rust de chirurgia generali*

*et speciali; Ill. Schlemm de arte cada-  
verum secandorum; Ill. Busch de arte  
obstetricia. Praeterea exercitationibus cli-  
nicis Ill. Bartels, Ill. Busch, Cel.  
Wolff, Ill. Juengken, Ill. Rust inter-  
fui, quorum virorum gratissimam memoriam  
nulla unquam oblivio exstinguet.*

*Jam vero tentaminibus tam philoso-  
phico quam medico nec non examine ri-  
goroso rite absolutis, spero fore, ut, dis-  
sertatione thesibusque defensis, summi in  
medicina et chirurgia honores in me confe-  
rantur.*

---

T H E S E S.

---

**I.**

*Rheumatismus atque arthritis plane inter se differunt.*

**II.**

*Omnia carditidis symptomata ambigua sunt.*

**III.**

*Ossa dolorem sentiunt.*

**IV.**

*Percisio nervi in prosopalgia haud prodest.*

---

T. H. E. S. S.

Aluminum ...

...

...

...



